



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

3. Dies Augusti. Grande est, intra se aliquem tranquillum esse, & sibi
convenire. S. Ambr. l. de Jacob. l. 2. c. 6.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55659

600 *Christiani Militis* *Augustus.*
nisi inimico ignoscas. Inimicus tibi erit seges hono-
ris, & gloriae, si immemor fueris injuriae.

3. DIES AUGUSTI.

Grande est, intra se aliquem tranquillum esse, & sibi
convenire. *S. Ambr. l. de Jacob. l 2. c. 6.*

Pax ani- I.

A ucos, qui sibi convenient, inve-
niens. Intra se esse tranquillum,

Ptam singulare, quam commune
extra se esse seditionum. Quo-

modo residuebit in corde Pax, ubi ardet fax omnium
bellorum cupiditas, quæ perpetuò effert signum;
canit classicum? Pax ab soluta omnibus suis muneri,
haberi non potest, ubi qui pacem tollunt, sunt hostes
innumeri. Hic enim secreti à principe pacis, in ex-
ilio degimus; depositi à patria pacis; hoc est, ab illa,
quæ sursum est, Jerusalem, in hac tetra colluvione
vivimus. Tunc imperturbabilis erit pax, cum ad cen-
trum omnis boni dabitur aditus, & exuti mortali-
tatis exuviis, arctè cum principio nostro, Deo, qui
in principio creavit cælum & terram; relicta terra
ingressi cælum, Conjugemur. Quare cum divini
proprium sit esse omnino immobile, totum unum
multiplicare vacuum, molestiarum omnium expers,
& contrariorum inane, se contentum, atque in bo-
no, quod affectionem omnem exhaerit, felicissime
quieteens. Anima Deum possidens, & ab eo claris-
simis radiis illuminata, & affluentia omnium bone-
rum circumameta, illum statum, & quietem imita-
tur. Hujusmodi plenam pacem frustri in hujus vita
curieulo expectes, supra Empyreum tutum sibi, &
nullis mutationibus obnoxium, nacta est domicilium,

II. Ad-

II. Addo tamen connitendum esse , quantum studio, & contentionē consequi possimus , ut si non penitus extinetis, at sōp̄itis inter carnem, & spiritum bellis, tam optabili pacis bono perfruamur. Est enim præstabilissimum Dei donum , pulcherrimum animi bonum; compositæ rationis decus magnum , politiæ beatarum mentium simillimum. Et hæc pax, quæ affectuum excludit illecebras, ac perturbationes mitigat, sublimior est, quam ea, quæ barbaricos sedat incursum . Hinc D. Ambrosius illud vetus dictum inculcat : (a) *Affuesce enus esse*: quod sic interpretatur : *Ut vita tua quandam picturam exprimat, eandem semper servans imaginem, quam acceperebat.* Negat igitur unum esse, qui per momenta varius, & discolor, nunc in vultu , iracundia æstu iruebat, nunc pallore immutetur, nunc in star Protei alius turbidis animi affectionibus infaniat. Nam qui invidi sunt, qui impatientiæ motu furiosi , quibus ardens dominatur iracundia, vix unquam, etiam cum magna perfruuntur solitudine, sunt soli. Fingunt enim sibi adesse, à quibus superbius se appellatos, aut contemptos putent : ingerunt convitia , minantur, respondent, quasi aliena dicta exaudirent. Denique miserum cor, ut diversorum audacium bellatorum, tragœdias, tumultus, seditiones sustinet. Hujusmodi enim homines affectionum in freto , atque inanum rerum perturbatione incredibiliter jactantur, unde à littore, & quieto animi statu, quasi à benefida statione , fævis turbinibus rejiciuntur , cum nusquam minus, quam apud se liceat constare.

(a) *Ambros. l.2. epist. 52.*

Pp 5

III. Qui

III. Qui verò uni Deo adhærent, sibi que, ac secum convenient, sesequunt ventis, ac procellis subducunt, in quieto sinu cordis, ut placidissimo in portu, dulcissimā tranquillitate potiuntur. Est enim certum illud Davidis pronuntiatum: (a) *Factus est in pace locus eius.* In hac quiete animi pacifici est honoratum Numinis diversoriū, & venerandum Tabernaculum, in quo libens commotatur. In tali corde Deo circumspectus omni genere gratiarum, sibi hospitium deligit, ibi ut Sol radios suos innmittit, addivina cognoscenda: ut Magister docet, ut Patronus defendit, ut Sponsor amat, ut Pater providet, ut Rex conservat, ut fons dulcedinum mentem inebriat. Ubi est, ex mente Salomonis, (b) *juge convivium.* Quia cor pacificum, quasi in opiparo convivio, & perpetuis lætitias vivere, continuā animi jucunditate perfunditur, Dei praesidio, & amicitiā lætatur. Non Persici apparatus, non saliales dapes, non cœnæ Pontificum, non oblationia Curiarū, non delicotorum scitamenta, tot, tantas, ac tam liquidas percipiunt voluptates. O Regiam dotem cordis pacifici: In eo est tabernaculum Dei, hierotheca Spiritus sancti, promptuarium cœlestium gratiarum. Ibi frontis serenitas, mentis tranquillitas, animi felicitas, Numinis praesidium, juge convivium, uno verbo, vita beata. Placet accipere tanti boni obtinendi methodum, & quidem per compendium? Accipe D. Leonis pronuntiatum: (c) *Tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo judge regitur, & animus Deo præside gubernatur.* Huic accedat suator pacis Poëta. Tunc in pace furis, si ut ille monet,

Certamen, lites, rixas, & jurgia vites.

(a) *Psal. 73.3* (b) *Prov. 15.15.* (c) *Serm. 1. de Quidam.*

4. DIES